



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Instrvctio Novitiorvm

Juan <de Jesús Maria>

Coloniæ, Anno M.D.C.XIII

De gratitudine. Cap. 17.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48624)

men silentium Christi reijcere; si crimē atrox est, eius verba repudiare?

37 Expendant ergo fratres nostri rationes has à tanto exemplari depromptas, & perdulcissimum Iesu Christi silentium vitæ verba requirant.

*De Gratitude. Cap. XVII.*

1 **A** Equissimum est sanè quicquid animum à Deo dimouet, vt sensuum inutiles fūctiones oculorum modestia, & taciturnitate, intercidere: sunt enim tot tantaquē debita, quibus clementissimo Deo sumus obnoxij, v. ad agendas pro beneficijs gratias, omnes animæ vires intus contrahere oporteat.

2 Quapropter suauissimam virtutem gratitudinis, quæ velut neglecta apud multos iacet, ab ijs quos Deus maioribus bonis auxit, quales fratres nostri sunt, impensius exerceri decet.

3 Est autem gratitudo (quæ & gratia nuncupatur, & ad iustitiam reducitur) virtus, qua quis ex accepto beneficio, affectum erga benefactorem cōcipit, &

M 3

suo

suo tempore gratias agit, ac pro viribus retribuit.

4. Quàm sit autem decora virtus hæc ingenio dulcissimo prædita, tam est per se notum, vt expositore non indigeat. Norunt enim homines vniuersi animos gratitudine insignes vim quandam cordium victricem habere, cæterosq; suauiter allicere: sicut è contrario ingrati homines à se corda repellunt.

5. Vtilitatem quotq; gratitudo maximam præstat: omnes quippe in homines gratos libèter beneficia conferunt: & primorum gratia, secunda & tertia elicit: quod exemplis quotidiana confirmamus.

6. Delectat quoque collatorem, ac receptorem simul, quos reciproco amore connectit, & affectibus certare facit.

7. Et hæc sanè, asserta apud nationes vniuersas verissima sunt ipso naturæ lumine probata: sed si de diuinæ gratiæ affectibus sermo fiat, multò veriora, & honestate, & lucro, & voluptate pleniora probantur. Mirū quippe dictu est natura-

turalé hominis gratitudinem quanto-  
perè gratia diuina perficiat: cuius maio-  
ra, & optabilia bona fortiùs, & suaui-  
ùs mouent.

8 Quantò enim gratitudine dignius est  
Deo nasci, quàm Mundo? & tamen ho-  
mines Ethnici natalis cœnam, multa  
gratitudine celebrare se debere puta-  
bant: quod nimis vulgatum est: quid  
ergo Dei filios cœlo natos præstare de-  
ceat?

9 Sed quamuis creaturæ omnes, pro  
captu suo, virtuti huic se debere debe-  
ant, fratres nostros, qui longè maiori-  
bus beneficijs vnà cum statu nostro au-  
cti sunt, gratitudinè, velut cordis orna-  
tum pretiosissimum, & ardentissimè a-  
mare, & excolere oportebit. Sed actus,  
qui ad eam parandam, & augèdam con-  
ducunt expromamus.

EXEMPLVM.

10 **P**ERpendèdum est, gratis animis nō  
satis esse, gratiam habere, quod  
ad bonum spectat affectum, sed gratiam  
referre, quod ad opus attinet.

M 4

II Hinc

11 Hinc est, vt interni actus, quibus affectus augetur, cum pro libito possint, creberrimè producendi sint: externi vero, cum facultas modica suppetat, nõ ad eò exerceri valeant. Sed quod ad Clementissimum Deum pertinent, cum ei nihil, quod suum non sit, reddere possimus, ipsismet beneficijs, quæ confert, ad gratiam referendam vti possumus, ac debemus, vt ex actibus patebit.

### ACTVS INTERNI.

12 **D**ulcissime Deus habeo tibi gratiam, pro immensis tum naturalibus, tum supernaturalibus bonis, quibus me semper cumulas.

Misericordissime Domine, quid tibi pro creatione, conseruatione, redemptione, iustificatione, præseruatione, auxilijs, inspirationibus, reddam? Amantissime Domine, quid pro malis, quæ non committo, repèdam, Cùm tot sint beneficia, quò in mundo perpetrantur peccata?

Benignissime Domine, quid pro bonis operibus, verbis, cogitationibus te donan-

donante, à me conceptis, & præstitis referam? Quippe, qui nisi te largiente nihil boni cogitarem.

Optatissime Deus, hac ipsa hora, ut comerui, flammis inferni comburerer, & beneficio tuo liberatus sum: quid ergo tibi retribuam?

Liberalissime Domine, contulisti in me ius hereditatis eterne (ut spero) quid agam?

Fidelissime Deus prouidisti sacramenta, verbi tui pactum, consilia, solatia, & alia multa, quibus adiuuer, ut ad te citius, commodiusque perueniam: quid respondebo?

Reddo tibi Domine cor meum: offero viscera mea: sacrifico tibi in hostiam laudis præcordia mea.

Vtinam, amabilissime Deus vniuersa, & Angelorum, & sanctorum, & quotquot in vniuerso mundo tibi placent, filij præsertim tui Vnigeniti, ac matris eius corda possiderem, quæ tibi gratissimo affectu consecrarem.

Quo pacto possum, dulcissime Domine, Iesum Christum Redemptorem meum, ac Beatissimam Virginem, & omnes

omnes Angelorum Hierarchias, & Beatorum reliquorum iustorum animas, quas rogo mihi ad gratitudinē sociari, tibi pro beneficijs reddo.

13 Satis patet huiusmodi actus posse multifariam concipi, & ad cor excitandum apprime conducere, sed ad externos veniamus.

#### ACTVS EXTERNI.

14. **M**os Iesu Christi Domini nostri erat etiam pro modicis rebus Patri suo aeterno externa veneratione gratias agere: Non enim solum, cum Lazarum suscitavit (quod maius quiddam est) sed quoties turbas pascebat ad ipsam panis illius, quem miraculo augebat, distributionem, oculis in caelum sublatis, Patrem laudabat.

15 Mos antiquissimus est, qui ad omnes nationes permanuit; sed fratres nostri illud eniti debent, ut ex ardentiore gratitudinis, non solum quicquid eis erogatur, cuiusmodi sunt vestes, victus, elemosynæ communes, & alia uniuersa

sa Deo gratias agentes accipiant: sed ad aliqua, vel certe omnia exteriora opera, quasi animi grati debita Deo reddenda procedant: quod est idem, ac si dicere- mus; eos ita erga Clementissimum De- um pro immensis beneficijs affici de- bere, vt per opera, quę præstant peculia- ribus cordis motibus ei gratiam referre conentur.

16 At cum solennioribus festis maxi- ma redẽptionis, ac salutis nostrę bene- ficia celebrantur, & præces, & orationẽ, & potissimum, sacram communionem, quasi hostias pro gratiarum actione in- terno motu cordis, & externo illorum actuum signo immolent: & spontanea quoque verbera, vel cilicia, vel eiusmodi alia superioris concessu sacrificent. Vix enim explicari potest, ad alendam deuotionem, hæc exterius testata gra- titudo, quantum conferat. Ne verò fra- tres nostri, ad hanc virtutem colendam desides fiant, subiectas rationes ponde- rabunt.

17 Animantia quantumuis fera benefi- cijs quendam quasi gratitudinis affe- ctum, & ex eo etiam obsequia referunt:

M 6

quod i



quod passim, cum voluptate contuemur. Quis rogo non auidè spectaret leonem paulò antè rugitu formidabilem, qui quod in conflictu, cum immani dracone ab homine adiutus fuit, interempto dracone benefactori suo blandiebatur, & more canis ad oblectamenta nutriti equitatem insequabatur, nec ab eo diuelli poterat. quod in Africa superiore, quàm Mediterraneo mari propinquior est, non ante multas ætates nouimus accidisse.

18 At quis vnquam, nisi testis oculatus esset, vera crederet, quæ in hoc genere canes ostendunt: qui catenis obligati, & mille ictibus vexati, ob panem modicum, quo à dominis aluntur, tam fideles, & grati perseuerant; vt singularem moestitiam præferant, quin, & obiectos cibos edere nolint (quod nos vidisse meminimus) si quando ab eis abesse contingat?

19 Cæterum, quale prodigiũ fuit (quod S. Ambrosius ait) cernere, canem, dum cadaver Domini efferebatur, feretrum insequentem, hærentem tumulo, ac moestissimis vlulatibus benefactoris sui

sui mortem prosequentem?

20 Profectò si leones, & canes ( vt alios animantes fileamus ( vsque ad ictus , & mortè ijs, quorum benefacta senserunt, gratiam, quà possunt, referunt: rationi consonum erit, viros non solum Christianos ; sed Religiosos in sortem dulcissimi benefactoris, ac Domini iuratos, animi grati signa exhibere.

21 Certè natura ipsa ingritudinem exhorrescit: & in se quandam grati animi repræsentat imaginem : quemadmodum enim terra, quæ accepta semina ægrè reddit effœta, & sentibus, ac tribulis obfita cultores spe frustratos à se repellit: ita qui acceptis beneficijs minimè respondent, non hominum tantùm , sed ipsius quoque Dei animum absterrent: ex quo fit, vt ingratitude fontem misericordix arefacere iure dicatur.

22 Hæc altius contemplantes illi Prisci mundi contemptores, qui Cænobitica instituta condidere, velut auari mercatores, opes multas conquisturi, vt are alieno liberarentur, dies noctesque spiritualibus exercitijs consecrabât: quod ex attentissima beneficiorum diuinorum.

rum meditatione procedebat; quid enim agerent grauari? Certè benefacta Dei, quasi grauissima pondera meditantibus incumbabant.

23. Verum rem ipsam nos quoque meditemur. An ferèdum sit hominem, qui certò nouit se multa igne sempertino digna peccasse, & solo Dei beneficio, gratis modò non ardere; immò ad æterna solatia inuitatum rectà, (vt credere licet) in cælum tendere; & non magis horum beneficiorum meminisse, vel gratiam rependere niti, quàm si propria, vel naturalia tantum bona forent? Profectò licet, ob solum beneficium liberationis illius ab homine, seruitutem æternam, putà, vt ferrum effoderet, Deus exigeret, nec vlla deinceps bona, præmia uè polliceretur; liberaliter, & misericorditer admodù cum illo ageret: si enim in æternum arsurus erat, ferri effossio mitis labor esset: & tamen non modò pœnam æternam relaxauit, sed gloriã quoque pro iugo suaui promisit.

24. Vterius: vt è plurimis paucissima feligamus: quis vnquam, nisi re à Deo reuelatã mente concipere nedum sperare

rare ausus fuisset, Deum pro vilissimo peccati, ac diaboli mancipio, Unigenitum suum rerum Dominum, honore infinito dignissimum, infami morti, & turpissimis ignominijs acerbissimo dolore permixtis traditurum? Certè beneficium hoc totum, quod historiam incarnationis, vitæ passionis, ac mortis Iesu Christi complectitur, ita cuiusq; hominis est, ac si nullius alterius esset: Cū se Christus totum pro singulis quoque hominibus obtulerit: quomodo ergo cor hominis, & si lapideum sit, hanc vim efficacissimam, sine immensa gratitudine ferre possit?

25. Quid de nutrimento filiorum Dei asseremus, quomodo obscuratū est aurum, mutatus est auri color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? Nunquam ab orbe conditio venit, aut venire potuit in mentem vlli homini tale beneficium, quale præstitit nobis diuini amoris immensitas in Eucharistiæ pane. Et tamen qui deberent amore, ac inde orta gratitudine flagrare, ferrea quadam nigredine obscurati sunt igniti auri colore mutato: & qui nobiliorem,

ac

ac secretiorem Sanctuarij, hoc est, domus Dei partem; quasi lapides viui cōponebant; studio mutato ad negotia, quæ in plateis geruntur: euagātur. Quid est hoc? mirum est quo pacto diuina beneficia, & maxima, & plurima, & ad cōuertendas animas efficacissima obliuioni tradamus!

26 Quod si è multis paucos videmus bonis internis opulentos, gratitudo est, quæ quò magis alitur, eò sinus cordis latiores ad bona capienda efficit. Ex hoc lectissimo numero fuit rex ille mitissimus David, qui magnam vitæ partē, inter ipsas regni curas, in canendis, & scripto celebrandis Dei beneficijs exegit: quod qui ex Psalmis non deprehēdit, cœcus sit, necesse est. Propter hoc ergo tam sc̄elix, & sapientia cœlesti diues fuit.

27 Ex eodem quoque numero Paulus fuit, qui gratia Dei se esse, quod erat, intentissimè cogitauit, & affectum gratitudinis, qua erga Iesum Christum cœlestem præceptorem suum ardebat, nunquam deposuit, propterea locupletissimus euasit, & vsque ad cœli fastigium creuit.

28<sup>o</sup> Fratres ergo nostri, præter eam communem gratiarum actionem, quæ usu lentescere solet, penitentiorem aliam, honestiorem, ac utiliorem intimis visceribus defigant, & perennibus aspirationibus augeant: sic enim munificentissimus Deus, qui benefaciendi occasiones captat animos eorum gratitudinæ patentes maioribus bonis explebit.

*De Magnanimitate. Cap. XVIII.*

1 **Q**ui beneficia maxima Clementissimo Deo se debere perspicit, quod est gratitudinis, magna moliri debet; ut pro captu suo gratiam referat: ex quo efficitur, ut magnanimitas virtus propria sit, eorum, quos Deus magnis auxit beneficijs: cuiusmodi Fratres nostros esse à nemine in dubium reuocari potest.

2 Est autem magnanimitas virtus, qua animus extēditur ad magna; utpote, fortitudinis comes, cuius est egregia facinora patrare: sed ē habet in Irascibili, eiusq; materia, est honor magnus, seu gloria.